DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

GONORRHOEA VIRULENTA.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

GONORRHOEA VIRULENTA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

G. J. BINHAM,

JAMAICENSIS.

Ad diem 25. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCII.

Surgeon Gen'l's Office
LIBRARY
WU 2290
Washington, D.C.

Patrum optimo,

GEORGIO BINHAM,

ARMIGERO;

Civitatis Hanoverae,

In Jamaica,

Medicinam feliciter exercenti;

Hoc opuſculum,

Pietatis, et animi gratiſſimi,

Exiguum monumentum,

Ob ſummum ſtudium,

Et curam ſingularem,

Quibus mihi ſemper conſuluit,

Obſervantia, quo filium decet,

Sacrum volo,

G. J. BINHAM.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

GONORRHOEA VIRULENTA.

Auct. G. J. BINHAM.

CUM nemo, qui disputationem suae scientiae documentum in vulgus non edit, summos medicinae honores in hac alma academia consequi potest; paucula idcirco de gonorrhoea virulenta conscribere decrevi.

De hujus morbi historia et origine, acriter quidem inter medicos disputatum est. Cel.

Aſtruc, qui omnia ad hujus mali hiſtoriam et ortum accurate collegit, luem veneream in Europa haud ante annum 1493, ſe oſtendiſſe narrat; gonorrhoeam autem virulentam non niſi annis 40, aut circiter, poſtea elapſis, ibidem innotuiſſe probare non videtur. Cum autem experimenta, ut poſtea oſtendere conabimur, ſatis veriſimile reddant, luem veneream, et gonorrhoeam virulentam, ex eodem viro pendere, vix ac ne vix quidem dubitare poſſum, quin hi morbi eodem tempore, ubique gentium, in medium prodierint.

MORBI HISTORIA.

Gonorrhoea virulenta concubitum impurum fere ſemper ſubſequitur; modo ſerius, modo ocyus, ſed plerumque diem tertium inter et duodecimum. Primum fere ſignum eſt pruritus

inſolitus

insolitus circa penis glandem sentitus, quae tumidula praeter naturam dura, et ad partem ejus extremam rubicunda evadit; os urethrae solito apertius fit; brevi postea, guttula muco sano magis alba ex urethra exit; testiculi nonnunquam aegro quasi rotari videntur, qui jam plerumque praeter consuetudinem in venerem proclivis est: Inter mingendum, ad urethrae extremum sentitur dolor, qui maxime urget inter ultimas guttas reddendas.

Haec signa brevi graviora evadunt; quodque ex urethra fluit tenuius, copiosius, modo flavum, modo subviride, et interdum sanguine tinctum fit; dolorque adeo intenditur, ut fere intollerandus evadat, potissimum inter guttas ultimas reddendas, aegerque ad mille situs diversos, quo ei succurrat, decurrere cogatur; nonnunquam guttis ultimis sanguinis aliquid admiscetur. Glans penis jam et praeputium haud parum inflammantur, et bubones, phymosis, et

paraphymoſis, ſaepe ſuperveniunt, doloreſque ad oſſa pubis percipiuntur; totus penis non raro diſtenditur, et aeger, praeſertim inter cubandum, tentigine frequenti infeſtatur, qua penis in anum latus incurvatur, quod ſignum *chordee* nominatur. Haec ſigna, per dies octo vel decem, plerumque gravia perſtant, et plerumque, tribus ſeptimanis elapſis, citiuſve remittunt; quamprimum inflammatio imminuitur, urinae ardor decreſcit, et tentigo minus frequens fit, et minus doloris habet. Denique, exigua materiae albae et viſcidae excretio obſervatur, quae paulatim imminuitur, et tandem inſtar unius alteriuſve globuli una cum urina mingitur. Quando hoc obſervatur, morbus nunquam redit, niſi venenum iterum admoveatur; hoc ſignum apud Cullenum gonorrhoea *mucoſa*, et Anglice *gleet* vocatur. Hoc modo ſolita gonorrhoeae ſigna, eorundem duratio, ac finis plerumque contingere ſolent. Res autem nonnunquam longe aliter ſe habet; exempla enim non deſunt, quae multo

plus

plus periculi habent; nam inflammatio ſolita ſua ſede, lacuna nempe Morgagni, relicta, aliquando cervicem veſicae et etiam glandulam proſtatam occupat, et plurium ſignorum graviſſimorum cauſa exiſtet, qualia ſunt teſtium tumor et inflammatio, perinde tumores et ſuppuratio, urinae ſuppreſſio, vel ejuſdem retinendae impotentia; et in quibuſdam caſibus, quando urethrae fluxus ſubito ſupprimitur, ophthalmia periculoſa ſupervenit. Porro, obſervatione conſtat, profluvium, ſi forte aeger febre corripiatur, aliquandiu ceſſare, et interdum, ſi modo febris gravior ſit, penitus tolli.

Signa ſupra memorata, quod ordinem et numerum ipſorum attinet, haud parum ſaepe variant. Raro enim omnia in eodem aegro obſervantur; modo ardor urinae, modo profluvium, prius accedit. Aliquando tentigo, quod tamen rariſſime fieri ſolet, caetera ſigna antecedit; ſaepe autem ultimum ſignum eſſe reperitur: Modo

unum

unum modo aliud ſignum abeſt; ſed ardor urinae raro, nunc fluxus tantum cum ardore urinae infeſtat, nunc ille ſolus adeſt; et, quod omnium forſan rariſſimum, inflammationis ſigna, nullo fluxu exiſtente, adeſſe obſervantur.

Mulieres eodem fere modo ac mares affici ſolent; in illis autem ſigna plerumque mitiora ſunt.

Saepe morbo ſolito graviori, aut imperite tractato, ſuperſunt teſticuli aut epididymidis durities, dyſuria, et bubones, haec tamen raro; in ſchirrum mutati. Omnium autem ſaepiſſime gonorrhoea *mucoſa*, quae ſaepe complures annos, nullis remediis ceſſura, perſtat; et nimia potatione, exercitatione, et venere exaſperatur, et nonnunquam ſanguine tingitur. Rariſſime autem dyſuria comitatur, ſi morbus carunculas, vel urethrae ſtricturas relinquat, aeger noxis

ex

ex hujuſmodi vitiis oriundis vix unquam immunis evadet.

Morbi hiſtoria jam tradita, compendium ejuſdem ſequenti definitione tradere conabimur.

MORBI DEFINITIO.

Titillatio urethrae, die fere tertio, vel quarto, aliquando ſerius, ſtranguria, cum fluxu humoris, muci aut puris inſtar, et glandis inflammatione, plerumque cum tentigine frequenti dolente.

CAUSÆ REMOTÆ

Conſtat obſervatione, quoſdam, prae aliis, multo facilius hoc morbo corripi. Cauſae quaedam igitur hujus proclivitatis exiſtant oportet; quales

les vero ſint dictu difficile eſt. Sunt quibus videtur urethrae mobilitatem eſſe cauſam praedisponentem. Utcunque haec ſe res habet, ſatis conſtat, cauſam excitantem eſſe plerumque coitum impurum; hoc autem perpetuum non eſt; contactu enim qualicunque, ſi modo virus parti tenerae, et eidem recipiendo idoneae, admoveatur, morbus concepi poteſt.

DIAGNOSIS.

Quidam morbi gonorrhoeam virulentam adeo referunt, ut nonnunquam a ſe invicem haud facile ſecernantur: Illi ſunt potiſſimum gonorrhoea *pura* vel *benigna*, leucorrhoea, affectiones renum, et veſicae urinae, de quibus ſigillatim.

1*mo*, Quod in gonorrhoea benigna ex urethra profunditur, id quantitate multo minus, et

et nunquam contagioſum eſt, ardor urinae et inflammatio multo leviora ſunt; porro, gonorrhoea benigna oritur a cauſis, quae virulentam excitare nequeunt, quales ſunt totius corporis laxitas atque debilitas, purgatio nimia, venus immodica, ſed pura, potatio nimia, frigus, &c. Hae quidem cauſae tam virulentam quam puram gonorrhoeam augent; illam tamen nunquam efficiunt, et ſpecies benigna paucis diebus, ſi modo cauſae ſupra recenſitae vitentur, imminuitur, et tandem decedit; ſi igitur ad utriuſque ſpeciei ſigna et cauſas animum advertamus, ſatis facile dignoſcentur.

2*do*, Leucorrhoea ſaepe difficile internoſcitur a gonorrhoea virulenta; Cel. Cullenus notis quae ſubſequuntur diſtingui poſuit. Leucorrhoeam enim adeſſe collegit.

1*mo*, Eo quod accidat mulieribus, quae, ob

cauſas uteri vaſa infirmantes, menorrhagiae opportunae ſunt.

2*do*, Quod fluxus, de quo ambigitur, brevi ante vel ſtatim poſt menſes ſe oſtendat.

3*tio*, Quod menſium quantitas eadem ratione imminuatur, qua fluxus albus augetur.

4*to*, Quod, menſibus penitus ſuppreſſis, profluvium perſtet, et ſtatis temporibus redire videatur.

5*to*, Quod fluxus iiſdem fere, quibus menorrhagia, ſignis comitetur; qualia ſunt dorſi ac lumborum dolores, et corporis debilitas.

6*to*, Quod fluxum neque antecedunt, neque ſubſequuntur, ſigna ulla affectus uteri partialis.

7mo, Quod profluvium non ſubſequitur coitum, in quem impuritatis ſuſpicio cadere poſſet, quodque inflammationis ſigna ab initio non adſunt.

Si haec omnia perpendantur, morbus plerumque diſtingui poterit; denique, ſi fluxus proveniat ex ulceribus uteri, aut vaginae, ſigna luis venereae alibi corporis brevi manifeſta fiunt; ſi cauſa fuerit concubitus impurus, alioquin nulla hujuſmodi ſigna ſupervenient; ſi uterque morbus ſimul invaſerint, quod aliquando fieri poteſt, aderunt pudendorum inflammatio, et non raro ulcuſcula leviora, et ardor urinae. In hujuſmodi exemplis, in quibus diſtinctio haud raro difficilis eſt, mulieris fama, morbum timentis, et ſanitatem cupientis, haud parum ad dubium tollendum conferent.

3tio, Affectiones renum ſatis facile plerumque a gonorrhoea virulenta ſecernuntur. In illis

illis enim obſervantur dolor, calor, et ſenſus ponderis, cum aliis inflammationis ſignis in regione renum, quae ſemper antecedunt urethrae fluxum, quo ſe oſtendente, renum affectiones etiamnum perſtant.

4to, Affectiones veſicae non perinde facile diſtingui poſſunt; exiſtentibus enim veſicae ulceribus, ardor urinae, dolor, ponderiſque ſenſus, in perinaeo obſervantur; et eadem ſigna pariter gonorrhoeam nonnunquam comitantur.

DE SIGNORUM RATIONE.

Ratio humoris ex urethra fluentis noſtram attentionem primo ſibi vindicat. Vix dubitandum eſt, quin hoc pendeat e ſtimulo viri venerei urethrae internae admoti; quaecunque enim corporis pars acri inſolito afficitur, curſus humorum eam verſus ſemper augeatur neceſſe eſt; ſternutamenta naribus, vomitoria ventriculo et purgantia inteſtinis admota, hanc corporis humani

humani legem ſatis demonſtrant. Harum enim partium vaſa ac glandulae irritantur, et quantitatem humorum praeter ſolitum magnam ſecernunt. Quod excernitur, hoc quoque praeter naturam acre fit; admodum igitur veriſimile eſt, virus venereum urethram ſtimulando ſecretionem praeter ſolitum magnam excitare, hancque acrem fieri; et ſane quodvis aliud acre urethrae applicatum eundem fere effectum ederet, ut conſtat experimentis a Cel. Swediaur, in ſe ipſum inſtitutis. Ardor urinae pendere videtur ex diatheſi phlogiſtica partium affectarum; conſtat enim experientia, cujuſvis partis ſenſum augere, prout ejuſdem actio ultro certos limites intenditur; cumque alia corpora prae aliis multo irritabiliora ſint, ratio facile redditur, quare morbus modo gravior, modo levior evadat. Si inflammatio in totam urethram diffundatur, et tandem veſicae cervicem attingat, hujus fibrae muſculoſae irritatae, varie pro irritationis magnitudine contrahentur; hinc ſtranguria, non-

nunquam

nunquam iſchuria, et ſuppuratio quoque oriuntur, quando hoc fit, ſtrictura plus minus ſubſequitur: Si inflammatio radices altius egerit, fertur lympham coagulabilem in telam reticulatam effundi; et hinc tentigo inaequalis (*chordee*) pendere dicitur.

Teſtium tumor et inflammatio aliter ab aliis exponuntur. Sunt quibus placuit, virus venereum, venis lymphaticis reſorptum, in ſanguinem, et inde per arterias ſpermaticas ad teſtes dilatum, inflammationis et tumoris cauſam exiſtere. Haec autem opinio minime veriſimilis eſt; ſi enim ita ſe res haberet, aliae corporis partes ſimul afficiantur oportet. Neque haec hypotheſis rationem reddit, quare teſtes ſubito tumeſcant, cum virus admodum lente ad teſtes defertur, et ſubito denuo detumeſcant, ſimul ac urethrae fluxus reſtituitur, et quare aliae corporis partes non afficiantur; haec igitur opinio repudienda nobis videtur.

Sunt,

Sunt, quibus ſtatuitur, virus per venas lymphaticas, aut per vas deferens abſorptum, recta ad teſtes devehi, hoſque tumore atque inflammatione afficere; hujuſmodi autem opinio rei anatomicae penitus repugnat.

Affectio igitur teſtium principiis longe diverſis exponenda videtur; referenda enim eſt ad conſenſum illum mirificum, qui teſtes inter plurimas corporis partes intercedit, et ſane quaevis urethrae irritatio teſtium tumores inducere poteſt. Sic calculi per urethram tranſeuntes hunc effectum praeſtare ſolent; eadem pariter a Cel. viris Sharp et Pott obſervata ſunt, ille ab operatione laterali, (ut vocatur), hic vero a larga nitri doſe teſtium inflammationem ac tumorem, ſuborta, affirmant; ſi igitur in hujuſmodi caſibus teſtium tumores, ab hujuſmodi rerum irritatione oriri poſſunt, quid obſtabit, quo minus idem effectus ab acri viri venerei ſtimulo eodem modo praeſtetur?

Gonor-

Gonorrhoea, uti ſupra diximus, partem urethrae ſuperiorem nonnunquam afficit; et inflammatio ſedem ſuam, in partibus prope ſeminales ductus figit; hinc inflammatio vas deferens occupat, effectuſque retrorſum ad teſticulum uſque diffunditur, eodem modo, quo, ut Cel. Monro inquit, " Piper oculo vel ori immiſſum " lacrymas et ſalivam citat."

Porro, idem Profeſſor clariſſimus obſervat, tumorem ad vaſis deferentis finem ſemper incipere; et hinc paulatim ad epididymidem et teſtem uſque diffundi; eundemque, quando ſubſidere incipit, curſum a fine nempe vaſis deferentis, ad epididymidem et teſtem perpetuo percurrere; quae lippitudo fluxu ſuppreſſo ſupervenit, ea pariter eidem corporis legi, partium ſcilicet conſenſui, tribuenda mihi videtur. Non ita facile forſan ratio reddi poteſt, quomodo gonorrhoea ſiſtitur, vel etiam ſanatur, febre ſuperveniente: Sunt quibus videtur ſpaſmum vaſorum

ſorum extremorum urethrae, hoc praeſtare, imminuendo totius corporis, et igitur urethrae, ſecretiones; actio enim vaſorum ſpecialis, qua virus venereum augetur, hoc modo deleri fertur.

DE VIRI VENEREI NATURA.

Utrum gonorrhoea atque ſyphilis, ex eodem veneno oriantur, necne, lis eſt inter medicos, quorum alii gonorrhoeam, a quavis acrimonia, luem autem veneream a veneno ſpeciali, alii vero et hanc et illam ab eodem veneno pendere aſſerunt.

Quicunque quidem ſecum reputaverit, varia ſigna variaſque medendi rationes, quae in utroque morbo locum habent, is facile adducetur ut credat, gonorrhoeam et luem veneream a diverſis cauſis oriri, qui in hanc ſententiam concedunt, ſic fere ratiocinantur.

1*mo*, Lues venerea hydrargyro ſanatur, et nunquam ſponte decedit; gonorrhoea autem ſponte, et ſine cujuſvis medicamenti ope, paulatim decedit.

2*do*, Lues venerea quadraginta annos, aut circiter, ante in Europa graſſata eſt, quam gonorrheoa ibi obſervata fuit; haec ſententia confirmatur ex eo quod Otaheites incolae, quibuſcum lues communicata fuit, gonorrhoea etiamnum immunes eſſe ferantur.

3*tio*, Gonorrhoeae acrimonia luem nunquam ciet, neque luis venereae virus illam excitare poteſt.

Plurimi autem ſunt primae notae medici, quibus perſuaſum eſt, utrumque morbum ex eodem veneno pendere, quique argumenta ſupra allata hoc modo refellunt.

Syphilis

Syphilis et gonorrhoea ab impuro coitu oriuntur; idem utroque morbo ſimul infici poteſt; ſyphilitide laborans, alii eundem morbum, alii gonorrhoeam, impertitur; et gonorrhoea imperiti tractata in ſyphilitidem convertitur; vix igitur dubitari poteſt, quin ex eodem viro pendeant. Inſuper, etſi ſyphilis neglecta ſemper ingraveſcat, et nunquam ſponte decedat, et gonorrhoea naturae viribus ſanetur; hoc tamen nullam morborum diverſitatem probat; urethra enim glandulis mucoſis ſcatet; virus igitur venereum, his glandulis admotum, ipſis ſtatim ſtimulo eſt, et ſecretionem copioſam movet, qua virus citius ſeriuſve abluitur, quamvis ſecretio jam mota diu poſtea perſtet. Urina quoque, per urethram tranſiens, ad hunc effectum haud parum confert; mirum igitur non videtur, gonorrhoeam ſponte quaſi decedere: Quando autem virus admovetur, corporis parti, quae hujuſmodi glandulis inſtructa non ſit, quaeque nulla ſecretione colluitur; oportet ut venenum

venis

venis lymphaticis reſorbeatur, in ſanguinem devehatur, et luem veneream excitet, quae ſanari nequit ſine hydrargyro, quod, omnes ſecretiones et excretiones augendo, virus e corpore expellit, vel vi quadam ſpeciali corrigit, vel extinguit. Quamvis igitur, utriuſque morbi curatio, ſigna, et exitus diverſa ſint, cauſa tamen hujuſmodi argumentis minime diverſi, probatur; diverſitas enim penitus e partium fabrica et functione diverſa pendet. Nec verum eſt, immo experientiae repugnat, hydrargyrum gonorrhoeae non mederi; quando enim uterque morbus in eodem aegro, ut nonnunquam fit, ſimul exiſtunt, et ſyphilis hydrargyro tollitur, gonorrhoea, quae ſuperſtes videtur, morbo denuo excitando penitus impar eſt, ut periti bene norunt: Utriuſque igitur morbi virus hydrargyro tollitur, etſi fluxus perſtet, qui prorſus innocens eſt. Objicitur quidem, gonorrhoeae virus, etſi glandi diu admoveatur, ſyphilitidem tamen non movere; utriuſque igitur morbi venena eſſe diverſa.

diverſa. Hinc autem minime ſequitur, materiam, gonorrhoeae propriam, ad hunc effectum non valere; omnes enim, ſi modo urethra eroſa ſit, ſyphilitidem progigni fatentur. Porro, cel. Monro, aliique auctores idonei, aſſerunt, ſe ſigna ſyphilitidis a gonorrhoea orientis vidiſſe; et clariſſimus J. Hunter experimentis comperit, gonorrhoeae virus ſyphilitidem, et hujus viciſſim gonorrhoeam, excitare.

Experimenta hoc genus facturo materia ex aegro morbo recentiore affecto deſumenda erit; ſi enim morbus per aliquot dies perſtiterit, aegerve hydrargyrum ſumpſerit, utrum materia quid viri venerei habeat necne, haud injuria dubitare licet.

Porro, conditionis corporis, in quod periculum inſtituendum eſt, et modi virus inſerendi, ratio habenda erit; ſi enim pars, cui virus inſeritur, in actionem violentam cietur, ita ut vel

ſanguis

ſanguis profundatur, vulnuſque conſilio, quod aiunt, primo conferveat, vel pus boni moris magna quantitate effundatur, quale in corporibus proſpera valetudine utentibus, obſervatur; virus ſanguine vel pure abluetur, et experimentum non ſolum votis noſtris non cedet, ſed etiam errandi locum praebebit; ſi periculum vero in corpus infirmatum, et ad munia ſua minus valens, inſtituatur, actio partis inciſae erit multo minor, et pus minore quantitate, et forſan mali moris, effundetur, ita ut virus partis vaſa multo facilius ingredi poſſit.

Ob harum rerum ignorantiam, plura a viris ingenioſis experimenta facta ſunt, quibus minime fidendum eſt; neque clariſſimus Hunter ab hoc errore immunis evaſit; de ulceribus enim *ſecundariis* tractans, ponit materiam, quae ex his profunditur, lui venereae excitandae imparem eſſe: Experimentis autem, quae in hanc rem inſtituit, nulla fides collocanda eſt, quia homines,

mines, in quos haec experimenta fecit, eodem tempore hydrargyro utebantur; Ideoque, utrum materia, qua uſus eſt, aliquid viri venerei habuerit, necne, plane dubitandi locus eſt.

Ex dictis, non ſine graviſſima ratione collegi fas eſt, gonorrhoeam et ſyphilitidem ex uno eodemque viro pendere, argumentiſque ex teſtimoniis hiſtoricis allatis minime eſſe fidendum; hiſtoriis enim, quae rebus factis et experientiae repugnant, nulla eſt fides habenda. Porro, clarus vir praefectus navalis King, Doctorem Swediaur certiorem fecit ſe materiam, ex urethris Otaheitis incolarum excerni ſaepe vidiſſe. Johannes a Vigo, anno 1526, librum de Morbo Gallico in lucem edidit; hic autem, quod mirum videtur, de bubonibus venereis penitus ſilet; nemo tamen nunc dierum affirmaverit, hoc ſignum ad luem venéream non pertinere. Hinc patet, quam parum, hiſtoricis medicis etiam nunc dierum contextis, confidendum ſit.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Huic ſequentia conſilia haud male accommodata videntur:

1*mo*, Virus venereum, quam primum e corpore expellere, vel idem corrigere.

2*do*, Diatheſin phlogiſticam tollere.

3*tio*, Tonum reſtituere, et ſigna quae ſuperveniant amovere.

Hic morbus haud dubie ſponte aliquando diſcedit; res autem ſaepe aliter ſe habet; hoc igitur ſemper agendum eſt, ut ſolitus morbi decurſus quam primum praecidatur; hoc autem primum conſilium abſolvendo perfici poteſt; et

et medicamenta idonea duplicia ſunt; quae ſcilicet urethram ab acrimonia defendant, vel talem excretionem cient, qualis ad virus abluendum valet, vel quae idem corrigendi vi pellere feruntur. Variae injectiones, huic fini haud male accommodatae, decantantur; qualia ſunt medicamenta demulcentia, et acria quoque, &c. de quibus paucula dicenda ſunt.

Demulcentium optima videntur, olea blanda expreſſa, quale eſt oleum amygdalarum dulcium, mucilago gummi Arabici, aliaque hoc genus, quae urethram illinendo a veneni actione defendunt, ita ut una cum urina ante mingatur, quam inflammationem cieat; hujuſmodi injectiones tepidae injiciendae ſunt; frigus enim actioni ſtimulantium et acrium favere compertum eſt. Interea, urinae copia augenda erit, liberali potus tenuis ac demulcentis uſu, qualis eſt altheae et ſimilium infuſio, ut urethra probe elu-

atur, viruſque foras expellatur; urina enim, poſt concubitum impurum, ſaepius reddita, praeſidium ſanitatis minime aſpernendum videtur.

Quaedam injectiones ex rebus acribus paratae, ſummis laudibus efferuntur, praecipuae ſunt ſolutiones alkali fixi, cauſtici, et mercurii corroſivi ſublimati; illa Londini paſſim increbuit, et invaluit, et omnibus aliis medicamentis, ad virus ex urethra expellendum praeſtare fertur: Solutio aqua pura ita diluenda eſt, ut guſtanti leviuſculum caloris ſenſum excitet; ſi unam lixivii partem viginti aut circiter aquae adjeceris, ſolutio plerumque ſatis valida reperietur; non ſolum morbo jam exiſtenti, ſed etiam venienti, occurrit; brevi poſt coitum impurum in urethram infundi debet. Muci ſecretionem in diem unum vel alterum ſatis copioſam plerumque, cum ardore urinae movere ſolet, quo fit ut virus haud raro abluatur; deinde ſigna paulatim decedunt, et valetudo commoda reſtituitur.

Cum

Cum vero hoc medicamentum gravem nonnunquam inflammationem excitet, neque pro certo venientem morbum ſemper praecidat, non niſi ſumma cum prudentia praeſcribendum mihi videtur.

Injectiones, quae virus corrigere ferentur, ex hydrargyro parantur; ſolutio mercurii corroſivi ſublimati optima videtur; et a quibuſdam anteponitur ſolutioni alkali cauſtici, quia raro inflammationem movere fertur; haec quoque, ut mihi videtur, haud ſemper periculo vacat: Quaecunque autem injectio praeſcribenda videbitur, ſemper hoc agendum erit, ut vires adeo modicae fiant, ut parum aut nihil doloris aut irritationis excitet. Qui alkali cauſticum commendant, hoc, in omnibus fere caſibus, poſt ſex horas, ex quo ſigna ſe oſtenderint, et in multis poſt viginti quatuor horas, tuto injici afferunt: Cum autem inflammatio jam ſubeſt, liquido patet, lixivium cauſticum, quippe quod etiam partibus ſanis inflammationem adeo facile

facile moveat, quam cautiſſime eſſe adhibendum. Solutio mercurii corroſivi multo quidem tutior eſt; nec deſunt quibus perſuaſum eſt, eandem etiam, poſtquam morbi ſigna acceſſerint, tuto ac feliciter adhiberi poſſe.

Plures aliae injectiones uſurpantur, paratae ex aſtringentibus, qualia ſunt ſaccharum ſaturni, vitriolum album, &c. Hujuſmodi autem medicamenta hoc morbi tempore parum idonea, imo nocentia, judicamus; vaſa enim extrema conſtringendo, et fluxum hoc modo ſiſtendo, impediunt, quominus virus exeat; hoc autem incluſum inflammationem excitabit; et niſi foras expellatur cum fluxu, qui inflammatione ſupervenire ſolet, reſorbebitur, et tandem in ſanguinem directum luem movebit.

Porro, omnes fere, qui carunculis affecti fuerunt, hos medicamentis aſtringentibus, initio morbi injectis tribuere ſolent. Aſtringentia igi-

tur

tur, nunquam, donec virus expellatur, aut extinguatur, uſurpanda cenſemus.

Quod ſiphones attinet, quibus injectiones in urethram infunduntur, clar. Monro, in praelectionibus ſuis, obſervat, pleroſque fini ſuo male accommodatos eſſe; omnium enim tribus juſto longior eſt, ita ut plerumque ultra morbi ſedem tranſeat, quod haud parum irritationis et incommodi parit; aliorum tribus juſto tenuior fieri ſolet, ita ut injectio, in ſpatium temporis juſtum, in urethra retinere non poſſit. Porro, finis eorum adeo auctus eſt, ut ſaepe urethrae noceant; itaque, ut his incommodis occurratur, Profeſſor celeberrimus ſuadet, ut ſyrinx ea ſit longitudine, et craſſitudine, ut urethram accurate impleat, ne injectio jam infuſa effluat, neque ultra morbi ſedem tranſeat, vel denique tenuitate ſua urethram laedat. Hoc inſtrumentum, ab aliis viris ingenioſis multo tutius, utilius, et uſui magis accommodatum, non ita pridem redditum eſt;

tutius

tutius enim jam conicus fit, et calix atque obſtaculum ei affabre accommodantur, ita ut portatu facilis ſit, et ab urethrae laeſione ſumma cura praecaveatur, utriculus ſit ex materia, quae Coutchouc vocatur, et ob dotes quas habet inſtituto ſuo quam optime aptatur; magna enim reſiliendi vi pollet, hinc facile impleri poteſt; porro, admodum durabilis eſt; nullo enim menſtruo, exceptis aethere ſulphurico, et terebinthinis, ſolvi poteſt. Quod injectionum adminiſtrationem attinet, frequenter et protinus poſt urinam redditam infundendae ſunt; cavendum interea ne gonorrhoeae virus ſurſum intra urethram pellatur; et ſic morbum de novo excitet, et gravia ſigna moveat. De hoc periculo monemur a clar. Monro, qui ſic loquitur: " Et ſi forte pe-
" riculum, ne hac ratione venenum, per ure-
" thram aſcendat, ab hac praxi nos deterreat;
" nonne hoc per digitorum, inter injiciendum,
" ſupra partem affectam preſſionem minui, aut
" prorſus amoveri, poteſt." Interea teſticulo-

rum

rum ſuſpenſura, quippe quae horum inflammationi potenter occurrit, minime negligenda eſt.

Conſilium II. abſolvitur,

1*mo*, Medicamentis evacuantibus, qualia ſunt ſanguinis detractio, cathartica, laxantia. 2*do*, Fomentis. Et, 3*tio*, Regimine antiphlogiſtico: De quibus paucis verbis ſigillatim.

Sanguinis detractio haud ſemper hoc in morbo neceſſaria eſt. Si autem diatheſis phlogiſtica et ſigna inflammationis partis adſint, ad eam ſtatim confugiendum eſt, et pro vi ſignorum iteranda. Sanguinis miſſio, loco propria ad ſigna quaedam, qualia ſunt phymoſis et paraphymoſis, generali anteponenda eſt; huic conſilio melius reſpondent hirudines, quam miſſio ſanguinis e vena dorſi penis, quia ligatura vix adhiberi poteſt, et quia nervi plurimi hanc venam comitantur. At Sydenhamus ſanguinis miſſionem non

ante

ante praeſcribendam putat, quam alvus purgata fuerit, ne morbus in habitum repellatur. Experientia autem ſatis conſtat, ſanguinis detractionem, ſub morbi initium, minime timendum eſſe, imo hoc tempore, ſi inflammatio urgeat, plurimum prodeſſe. Si phymoſis, aut paraphymoſis, tumorque penis adeo gravia ſint, ut gangraenam intentent, praeputium ſcalpello ſtatim incidendum erit: Modum quo hoc optime perficitur, a Profeſſore Monrone docemur.

Cathartica.—Olim et etiamnum moris eſt, nitrum, chryſtallos tartari, tartarum vitriolatum, aliaque hoc genum medicamenta, conſilio corpus refrigerandi, et urinae ardorem levandi, praeſcriberi. Hujuſmodi autem medicamenta in hoc morbo parum idonea videntur; hoc in praelectionibus ſuis ſaepius docuit cel. Cullenus; eadem pariter docemur a viris claris Pott, et Doctore Alexandro, quorum ille urinae ardorem haud raro a nitro propinato intendi affirmat; hic vero

vero de homine mentionem facit, qui magnas nitri doſes ſumpſerat, dyſuriam veneream levandi conſilio; tantum vero abfuit, ut ſigna levarentur, ut etiam graviter aucta fuerunt. Cujus rei ratio facile reddi poteſt; medicamenta enim ſupra memorata venis lymphaticis reſorbentur, et in ſanguinem delata, una cum urina haud vel minime mutata minguntur, et in tranſitu ſuo partibus inflammatis, jam nimis ſentientibus, admota, dolorem vehementer augebunt.

Ex dictis patet, qualia purgantia medicamenta huic morbo optime conveniunt; blanda enim eſſe debebunt; hinc manna, olea recens expreſſa, veluti, oleum ricini, omnibus aliis anteponenda videntur: Alvum vero ducentia, in omnibus exemplis, ubi lotiones commode adhiberi poterunt, medicamentis ore ſumendis potiora videntur. Ex dictis pariter liquet, nulla diuretica praeter demulcentia eſſe adhibenda, quorum op-

tima ſunt gummi Arabicum, theae infuſio, ſaccharo et lacte grata reddita.

Fomenta.—Non tantum partes a ſordibus immunes praeſtant, et ulcerationibus externis occurrunt, ſed etiam viribus ſuis emollientibus ac relaxantibus urethrae inflammationem mitigant, et dolorem ſopiunt; penis igitur in vaſe aqua vel lacte tepidis repleto, bis ſaepiuſve die fovendus eſt; hoc dolorem ac tentionem partium mirum in modum imminuit, et urinae excretionem multo faciliorem reddit. Sunt qui ſuadent olea blanda, dum urethra inflammatur, infundantur; in horum autem locum ſufficiendi mihi videntur potus emollientes ſupra laudati, large epoti, qui urinae quantitatem augent, acrimoniam ejus obtundunt, et virus ex urethra multo efficacius eluunt, quam medicamenta blanda in eandem infuſa; urethra enim adeo irritabilis eſt, ut quaevis fere res infuſa ſigna haud

raro

raro graviora reddant; fotus igitur urethrae internae minime idoneus mihi videtur.

Si phymosis, paraphymosis, penis tumor, &c. supervenire videantur, cataplasmata, saccharo saturni conflata, saepe necessaria fiunt.

Regimem antiphlogisticum, dum inflammatio viget, omni cura adhiberi debet; cibus igitur ex materia imbecilla, quales sunt sago et hordeum, et fructus quidam refrigerantes, veluti fragaria, rubi idei fructus, &c. constare debebit. Exercitationem animi ac corporis refugiat; potissimum venere abstineat; procul absint omnia quotquot corpus animumve excitant.

Si testiculi inflammatio supervenerit, ei occurrendum erit sanguinis missione generali, et loco propria liberali, situ corporis recumbente, cataplasmate supra laudato, et medicamentis vomitoriis, quae ad fluxum urethrae restituendum, et

hoc

hoc modo ad teſticuli inflammationem tollendam, haud parum conferre feruntur. Nonne hoc ſigno gravi ſuperveniente, fluxus urethrae optime reſtituetur injiciendo in eandem pauxillum ſolutionis alkalinae, de qua ſupra egimus; praeterea, cum gonorrhoea laborantes ſiphylitide haud raro periclitentur, prudentis erit medici ſemper hydrargyrum praeſcribere.

Conſilium III.—Explebitur diverſis modis, pro diverſitate cauſae; ſi fluxus pendeat ex laxitate, quod plerumque evenit, medicamenta roborantia et aſtringentia; ſi autem e ſtructura oriatur, ut interdum fit, inſtrumenta *Bougies* dicta utenda erunt.

Hoc loci forſan obſervari debet, ſigna gonorrhoeae mucoſae, Anglice *Gleet*, interdum mutari, et ſpeciem induere his ſimilem, quae gonorrhoeam virulentam comitantur; fluxus enim modo flavus, modo viridis, modo pus refert.

Haec

Haec porro ſigna dyſuria et leviuſcula inflammatione comitantur, ita ut nonnunquam minus in artis uſu verſatos fallant, ſuſpiciantes virus de novo admotum fuiſſe; hoc autem praeviſum et perſpectum habere convenit, ne medicamenta parum idonea aegri vires convellantur.

Haec ſigna plerumque veneri nimiae, potationibus, et nonnunquam catharticorum draſticorum uſui, ſuperveniunt; ſed facile ſignis gonorrhoeae virulentae internoſci poſſunt, eo quod regimine antiphlogiſtico, paucos dies adhibito, evaneſcunt, quae res longe aliter ſe habet, quando ſigna a viro venereo pendent *.

Porro, ut remedia perite praeſcribantur, cauſa fluxus primo indagatur neceſſe eſt. In exemplis igitur quae a laxitate pendent, quod cognoſci poterit ope catheteris in urethram perite inſinuati;

* *Vid.* Cullen's Firſt Lines, MDCCLXIX.

nuati; si enim nullus obex transitui ejus obstat, non sine ratione collegitur, morbum e laxitate pura pendere; in his inquam exemplis roborantia et astringentia varia adhibita fuerunt. Si laxitas universi corporis adsit, cortex Peruvianus, balneum frigidum, diaeta nutriens, et concoctu facilis, cum modica vini quantitate, praeclaros effectus praestare solent. His adjungitur exercitatio corporis idonea; equitatio autem est remedium admodum anceps; saepe enim facit, ut fluxus augeatur, aut redeat; hoc autem perpetuum non est; in quibusdam enim exemplis morbum sustuliſſe fertur. Morbus autem nonnunquam his medicamentis non cedit; in hujusmodi casibus, qui saepe ex glandulae prostatae affectione pendent, aura *electrica* non sine fructu interdum adhibita fuit; et epispastica urethrae externae admota saepe feliciter, post alia remedia incassum tentata, cesserunt. Solutio vitrioli albi, cum opii pauxillo, saepe bene respondet, quando fluxus laxitatem loco propriam causam agnoscit.

agnoſcit. Balſama pariter, veluti copaiba, terebinthina, &c. bonos effectus ſaepe ediderunt; uſu autem balſamorum, niſi poſt dies octo aut circiter, ſigna ſuſtulerint, abſtinendum, opinatur clar. Hunter; denique, a quibuſdam affirmatur, myrrham quaedam gonorrhoeae pervicacis exempla, quae omnibus fere remediis obſtiterant, conſanuiſſe.

Si gonorrhoea mucoſa ab urethrae ſtrictura pendeat, minis fiducia noſtra in uſu idoneo horum inſtrumentorum, quae *Bougies* vocantur, collocanda erit; ut hujuſmodi remediis utenti, res feliciter cedet in magna patientia, cura aſſidua, et inſigni urethrae anatomes ſcientia polleat neceſſe eſt.

Dolor immanis, et tentigo, quae noctu graviter urgent, ſomnumque aegrotanti adimunt, opii uſu liberali, et jugo penis, inſtrumento huic conſilio haud male accommodato, conſopienda ſunt.

FINIS.